

suas commoditates et delicias Judæi dies suos impendebant. Dies tua est, peccator, quam libidini tuæ das: dormit hac die Deus, et sinit te bacchari: veniet dies Domini, qua rationes tecum subducet, et exiget quod debes. Sic caupo suos hospites sinit vivere ad lubitum, epulari, inebriari, cantare, clamare, saltare, ridere, ludere: sed postea incipit dies ipsius, cum oculos illorum mulctat. Unde Eccl. c. I. *Lætare juvenis in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et intuitu oculorum tuorum: et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.*

Tertio, quia diem illam fœdarunt suis sceleribus, ita, ut licet Deus diem illam fecerit, pro sua tamen non agoverit. Hoc sensu noluit agnoscere Deus populum Hebræum pro populo suo, sed vocat populum Moysis vel populum istum, Exod. XXXII. quia a Deo recesserat. Eadem ratio de tempore. David, Psal. CI. confitetur dies suos declinasse sicut umbram; tales sunt dies peccatorum, obscuro et tenebroso sicut umbra, lumine gratiæ destituti.

IV. Quando visitavit Deus Jerosolimam? Resp. primo, quando misit illi de cælo Filium suum carne vestitum. Cujus figura fuit Joseph, missus a patre ad fratres visitandos illis verbis: *Vade et vide si cuncta prospera sunt erga fratres tuos*, Gen. XXXII. Verum sicut illum fratres veste nudatum miserunt in cisternam: ita Judæi Christum vestibus spoliatum et crucifixum in sepulcrum.

Secundo, quando per eundem Filium suum eos docuit et duxit vitæ ejus exemplo, miracula fecit, omnis generis morbos curavit. Visitari enim dicuntur ægroti, et sic visitavit cælestis medicus ægrotum genus humanum. Hinc quando Christus filium viduæ suscitavit, exclamavit turba: *Quia Deus visitavit plebem suam*, Luc. VII.

Tertio, quando per eundem eos castigavit et templo ejecit, ut in hodierno evangelio et postea cum eosdem in horto prostravit, signis in morte Christi factis terruit: cum obsidione Romanorum eos pressit. Est enim visitatio tam justitiæ, quam misericordiæ actus. Sic dicitur Isa. XIII. *Visitabo super orbis mala*; et Isa. X. *Quid facietis in die visitationis?* et Soph. I. *In tempore illo scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defæcos in fæcibus suis*. Sicut enim in visitatione prælatorum vel pastorum, omnia accurate perquiruntur et corriguntur; sic faciet in judicio Deus, ubi pluribus lucernis, sua perspicacia, reorum conscientia, angelorum testimoniis, etc. omnia indagabit. Nemo ad hanc ultimam visitationem differat suam emendationem, quia sero sapiet.

V. Cur e templo ejecit ementes et vendentes?

Resp. primo, ut templum materiale purgaret a mercimoniis templum dedecentibus; docens interim nos, non ea tantum remove a templis, quæ peccatum continent, sed etiam sæcularia et indecora negotia, uti fabulari, obambulare, ridere, oculis circumvagari, etc. sic admonet Paulus Timotheum, ep. I. c. III. *Hæc tibi scribo, inquit, ut scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari*. Hanc mutant in speluncam latronum qui impudice in ea conversantur.

Secundo, ut a templo, id est, Ecclesia tota ablegaret omnem labem simoniacam. Per hanc fit templum spelunca latronum et officina Judæ, cum avaritia in eo habitat et rapinæ committuntur.

Tertio, ut doceret, templum spirituale, quod sumus nos, cum omni puritate et sanctitate custodiendum. De hoc enim ait apostolus, I. Cor. III. *Nescitis quia templum Dei estis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdit illum Deus*. Violat autem, qui noxias cupiditates admittit in cor suum.

Quarto, ut demonstraret Judæis, quomodo eos plectere posset, si vellet: item qua ratione eos per Titum imp. post triginta octo annos velut per flagellum suum ejecturus sit a terra sua, ac demum in judicio a facie sua. Pugnavit hic cum illis manu sinistra tantum, demonstrans interim, quomodo eos prosternere posset, si dextra uti vellet, qui sinistra omnes ejecit. Verum dexteram suam reservavit diei judicii.

VI. Cur docuit in templo? Resp. primo, ne accusare illum possent Judæi, quod occulte et impia doceret. Hoc enim objecit illis postea coram pontifice: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil*, Joan. XVIII.

Secundo, quia templum, locus maxime idoneus est prædicando et audiendo Dei verbo; tum quia sanctum Dei verbum sanctus decet locus, tum quia major ibi populi collectio et devotio.

VII. Quorsum Deus Judæos ad terram prostravit, et per universum orbem dispersit, hodieque tolerat? Resp. primo, ut Christi fidem confirment, partim dum hac ratione penas occisi Christi dant, quemadmodum latronis cadaver in plures partes dissectum et in variis locis suspensum testatur ejus scelus: partim dum libris suis, in quibus prænuntiatus est Christus, alios illuminant, seipsos vero redarguunt. Unde S. August. in orat. contra Judæos et paganos, cap. XVIII. confert illos cum ligneis candelabris lucernas sustinentibus et lumen aliis

præbentibus; sibi vero interitum afferentibus. Sunt enim ipsis biblia velut litteræ Uriæ, quas secum ipsi gerunt ad propriam damnationem.

Secundo, in pœnam occisi Christi. Quemadmodum enim Cain quod fratrem innocentissimum ex invidia occiderit, in pœnam parricidii vagus et profugus factus est super terram: sic Judæi, quia fratrem suum Christum innocentissimum ex mera invidia necarunt, jure merito dispersi, vagi et profugi super terram facti sunt, ut hac ratione scelus suum et Christi innocentiam toti orbi denuntiarent. Id prædictum Psal. II. *Tamquam vas figuli confringes eos*. Ut enim vas figuli in terram projectum desilit in plurima frustra: ita projecti in terram Judæi, ut eorum fragmenta in totum orbem dissilirent, atque ita

regnum suum divulgum et extinctum, Christianorum vero auctum et exaltatum videant.

Tertio, ut reliquiæ Israel salvæ fiant et convertantur, cum vident omnem suam gloriam et regnum cælorum a se ablatum et Christianis datum esse. Melius enim clamat sanguis Christi quam Abelis, ad Hebr. XI. *Hic clamavit vindictam; ille clamat misericordiam et veniam, si eam acceptare velint*.

Ergo, auditores, aperiemus oculos mentis nostræ, ne cum cæco illo Balaam et cæcis his Judæis incurramus in Dei gladium. Veli si nostram cæcitatem vincere non possumus, rogemus Dominum Deum, ut aperiat oculos nostros, qui aperuit os et oculos asinæ, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

MIRA MERCATORUM EJECTIO E TEMPLO.

I. Mira est propter iram mitissimi Agni. — II. Propter ejicientis potentiam. — III. Propter flagellum quo usus est Christus. — IV. Ob diram increpationem. — V. Ob merces nundinantium.

THEMA.

Ingressus templum cepit ejicere vendentes in illo, et ementes. Lucæ XIX.

Mirum quid refertur, I. Regum XIV. Jonathan filium regis Saulis, una cum armigero suo irruisse in stationem Philistinorum, et numerosum eorum exercitum, edita viginti virorum strage, in fugam compulsisse; quod adeo stupendum erat, ut sacer textus dicat accidisse quasi miraculum a Deo, nec immerito, conjecto in fugam exercitu hostili ab uno juvene ejusque armigero. Videtur illa Jonathæ irruptio typus et præludium quoddam fuisse illius irruptionis, quam in hoc evangelio Christus fecit in numerosum populum, nundinas agentem in templo Salomonis. Solus enim Christus Dei Filius, natura humana, velut armigero suo stipatus, fugavit omnem illum populum, et e templo ejecit una cum suis gregibus. Quæ res tanta est, ut eam Sanctus Hieronymus censeat fuisse maximum miraculum: *Mihi, inquit Matthæi XXI. inter omnia signa, quæ fecit Christus, hoc videtur mirabilius esse, quod unus homo, et illo tempore contemptibilis, et in tantum vilis, ut postea crucifi-*

geretur, Scribis et Pharisæis contra savientibus, et videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantum ejicere multitudinem, mentasque evertere, et cathedras confringere, et alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Ita Hieronymus. Miram ergo hanc irruptionem jure merito accuratius contemplemur.

I. Mira est propter iracundiam a mitissimo Agno assumptam, et vindictam in nundinatores templi exertam. Ubi enim alias toto vitæ tempore videmus iratum Christum? Ubi ejicientem? Ubi percutientem aliquos, nisi quando in templo reperit nundinatores? Quod uti bis accidit, ita bis eos ejecit. « Quæsitum dignum est, inquit Sanctus Chrysostomus, homilia XXII. in Joannem, qua gratia Christus adeo hic indignatus est, et maxime cum alias injuriis contumelisque affectus, Samaritanus et dæmonium habens appellatus, nihil tale fecerit: nunc non contentus solis verbis, sed etiam, flagello arrepto, sic eos ejecerit. » Nimirum immanis Dei injuria est, profanare templum ejus et contumelia afficere, quæ ipsum Deum directe et immediate tangit; de qua Heli sacerdos ad filios in templo delinquentes dixit: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* I. Reg. II. indicans graviora longe esse peccata contra præcepta primæ tabulæ (quæ sunt tria prima decalogi) iis quæ præcepta secundæ tabulæ committuntur: quia illa Deum immediate, proxime et in se; hæc vero mediate tantum et in alio offendunt: hæc semel, illa bis, ut Abulensis, quæ-

tione XIV. explicat similitudine furti, quod quis contra edictum legislatoris committit in ipsum legislatorem, et illius quod in alios homines. Tale vero est peccatum, quod invadit Dei cultum, sive persona sacra, sive actio sacra violetur. Hujusmodi erat illud filiorum Heli, quod morte plexit Deus, et in filiis delinquentibus et in patre, non serio satis prohibente. Hujusmodi et illud Heliodori, cum ab Antiocho rege missus Jerosolymam, ut ærarium templi expoliaret, a duobus juvenibus in templo utrinque eum stipantibus, continuis verberibus flagellatus est; quo malo edoctus, regi renuntiavit: *Si quem, o rex, habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illum, et flagellatum eum recipies, si tamen evaserit, eo quod in loco sit vere quædam Dei virtus, etc.* II. Macch. III. Gentilis ille erat, templum Salomonis nequaquam ita ut nostra templa, sanctum erat. Denique, nihil aliud nisi aurum e templo tollere jussu regis voluit: nonne gravius est, si Christianus templum Dei corporali præsentia longe sacratius, non auro, sed honore et cultu suo, qui auro millies prævalet, expoliare audeat?

II. Ob ejicientis potentiam, qua unus tam multos sacerdotum ministros et institutores, (uti supra ex Hieronymo audivimus) sibi infensos et mortem machinantes, avaritiæ studentes, tam facile ejecit, quod vix integra militum legio potuisset. Quis audeat leoni prædæ incubanti prædam eripere? Avari quasi leones sunt; unde quod Psal. XXXIII. dicitur: *Divites eguerunt et esurierunt*, Hieronymus vertit: *Leones esurierunt*. Nundinatores isti, veluti leones, prædis et lucris inhiabant, jamque incubabant, et quidem magno numero, nec tamen obsistere audent uni homini inermi sese expellenti; quis hoc non miretur? Statuarij asserunt nihil ita difficile esse in statua, atque unguis perpolire. Nihil etiam difficilius et periculosius, quam avaritiam divitum arguere et corripere; mox enim arguentem unguibus suis invadunt. At hic nemo erat qui Christo se opponere auderet. Quæ hujus rei causa? Sanctus Hieronymus existimat igneum quiddam atque siderium radiasse ex oculis Christi, et divinitatis majestatem eluxisse in ejus facie, quod eos terruerit. Deinde, immisit pavorem in cor eorum, de quo Deut. XXVIII. dicitur: *Dabit tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore, etc.* Deut. XXXII. *Quomodo prosequatur unus mille, et duo fugient decem millia, nonne ideo, quia Deus suos vendidit eos, et Dominus conclusit illos?* Id quod vendo a cura et tutela mea removeo, et alteri relinquo. Sic agit Deus cum præfatis peccatori-

bus. Hinc a Deo deserti, cervi fiunt ex leonibus. Similiter qui conclusos se et ab hoste cinctos vident, animum despondent. Quando robur exercitus Syri regis factum, vidit se intra civitatem Samariam conclusum, cinctumque undique mœnibus et hostibus, nemo unus eorum se movere ausus est; quin potius, ut Sanctus Chrysostomus, homil. de Elisæo et Syror. insid. ait: *Tunc reddito visu lamentantur et plangunt, tunc se captivos, tunc reos, tunc se morti proximis recognoscunt*, IV. Reg. VI. Idem accidisse puto istis nundinatoribus in templo comprehensis. Viderunt se in domo non sua, sed Dei, et in aperto flagitio comprehensos: hinc timor et fuga eos comprehendit.

III. Ob instrumentum, quo ad hoc est usus. Credibile est enim fuisse paucos funiculos in flagelli modum nexos; quali enim usus fuerat in prima ejectione, Joan. II. Samgar vomere uno percussit de Philisthæis sexcentos viros, Judic. III. Samson asini mandibula mille Philisthæos, Judic. XV. quia robur eorum instrumento vim supra naturam impressit. Quid Christus? Funiculos sparsim in via jacentes, qui nec puerum terrerent, colligit et connectit, iisque pellit et expellit quotquot erant in templo nundinatores, cum gregibus et armentis suis. Quis hic non miretur? Quis hic non deprehendat divinam in ipso potentiam? Nimirum manus ejus omnipotens impressit his funiculis plusquam humanas vires, ut tam multos tamque fortes sternere et fugare posset. Quid si gladium arripisset? At hunc reservat in diem judicii, de quo Deuter. XXXII. ait: *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis. Gladius meus devorabit carnes, etc.* Unde bene Joannes, cap. II. dixit Christum ex funiculis fecisse quasi flagellum: quia funiculos illos nondum ita exacerat, ut possent medios scindere et dividere, sanguinemque noxiorum devorare; sed hoc reservavit ad diem judicii. Quidquid ergo hic cladis nobis infertur sive e bello, sive e pestilentia, sive e fame, grandine, pruina, etc. nondum flagellum, sed quasi flagellum tantum est: exiguum et leve est. Deinde, probabile est funiculos illos fuisse ipsorum mercatorum, qui eos secum, ut solent, attulerint et abjecerint. Ergo, quemadmodum David Goliatho caput abscidit proprio ejus gladio, I. Regum XVII. ita Christus hoc nundinatores propriis eorum funibus cæcidit, quia nimirum peccator, dum delinquit, sibi ipsi virgas plectit, et funiculos necit, quibus hic cædatur, et in inferno suspendatur; quemadmodum Aman sibi ipsi furcam erexit, quam innocenti pararat. Hinc bene

Prov. V. dicitur: *Iniquitates suæ capiunt impium, et fanibus peccatorum suorum constringitur*: alii legunt, *ligatur, tenetur, suspenditur*. Ligatur autem hic et islaqueatur velut dæmonis captivus; suspenditur in inferno; et strangulatur propriis sceleribus per eorum remorsum. Unde Albertus Magnus, in serm. de Sancto Clemente martyre, ait: « Nota quod malitia est funis, per quem diabolus peccatores suspendit in inferni patibulo; et nesciret per quod suspenderet eos, nisi ipsi apportarent ei funem, per quem suspenderentur. » Fridericus comes Palatinus tres vicinos sibi principes Germanos, qui Heidelbergam, ejus metropolim, post agrorum vastationem, obsidere parabant, incautos parvo exercitu cinxit atque cepit: postea redemptos convivio excepit, cætera quidem splendido; panem tamen non apposuit: quod cum illi mirarentur, causam reddit: *Vastastis vestra incursione segetibus meis, et meorum rusticorum, panem perdidistis. Discite nunc subditorum sudoribus parcere, quorum laboribus victum nostrum constare videtis*. Refert Heldio, in chron. Belle et hic principes convivias istos constrinxit propriis peccatorum suorum funibus.

IV. Ob diram increpationem, qua latrones appellat nundinatores illos. Quomodo enim latrones, cum vendiderint res suas? Respondeo fuisse institores aut famulos sacerdotum, in quorum persona tangit Christus potius ipsos sacerdotes; illorum dominos; qui, dum lucra sectabantur in templo, simul et scandalo sauciabant plebis animos, more scilicet latronum, qui, ut pecunias acquirant, viatores etiam vita spoliant. Voci huic terrificæ, ut vero simile est, miram emphasisim addidit, juxta id Psal. LXVII. *Eccce dabit voci suæ vocem virtutis*.

Sauciavit igitur hac voce conscientiam sacerdotum, qui in loco sacro lucris inhiabant, et quidem iniquis carisque nimium venditionibus emptores, eosque fere pauperes tantum, expoliabant. Tametsi enim ex rebus venditis et ad sacrificium allatis suam ipsi portionem capiebant, ea tamen non contenti, etiam lucrum et rapinam ex earum venditione sibi comparabant; quod forsitan latrones non facerent, si a viatoribus spontaneum aliquod munus acciperent. Jam vero latrones atque fures voce magistratus facile percelli, nemo est qui nesciat. Quod etiam contingit aliis, qui res iniquas moliuntur, eujusmodi exemplum suppeditare nobis potest Græcium nostrum, in quo cum non ante multos annos (fere septuaginta) tumultuosi quidam cives, Lutheri hæresi infecti, circiter quingenti, in medio civitatis foro noctu armati convenissent, ut media nocte curiam invaderent, et catholicorum

domos opprimerent, ecce repentinum et inexpectatum tonitru horrendum in modum intonat; quo illi consternati, existimantes ingens tormentum ex arcis propugnaculo civitati imminente in se explosum esse, omnes, dejectis capitibus, trepidarunt, et per urbis compita quaquaversum diffugerunt. Ita scribit Jacobus præpositus Stanzensis, in reformat. Styriaca, fol. XV. Jam si unum tonitru potuit exarmare et in fugam compellere tot armatos, cogitate quid erit vox Christi judicis in die judicii reprobos damnantis! *Vox illius*, inquit Joan. Apoc. I. *tamquam vox aquarum multarum*: velut Daniel, c. VII. vidit: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus*.

V. Ob merces nundinantium; quæ erant animalia ad sacrificium emenda, et monetæ pecuniariæ in gazophylacium mittendæ, adeoque templo non indignæ. Unde v. Beda, in c. II. Joan. ait: « Videbantur licite vendi in templo, quæ ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerrentur Domino: sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenæ negotiationis, ne ejus quidem, quæ honesta putaretur, exhiberi, dispulit negotiatores injustos, et feras omnes simul cum iis, qui negotiabantur ejecit. Quid ergo, fratres mei, quid putamus, faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias, quæ sibi immolarentur, ementes in templo vidit, et eliminare festinavit? » Maxime quia hæ merces non vendebantur ab eis in ipso templo, sed in atrio templi solum. Et quanto sacratiores sunt templa Christianorum templo Salomonis? In illo, dum ædificaretur, noluit Salomon ut ictus mallei aut securis audiretur (III. Reg. VI.) sed procul, extra locum templi, ligna et lapides secarentur, posteaque ædificio cum silentio aptarentur: et non offendent Christum, qui in templo rident, cachinnantur, de profanis rebus garrunt, nugantur, et rem divinam turbant? Sed neque istud satis est, si quis dicat se orare in templo, si enim non attente oret; vel si sub concione oret, cum Dei verbo opus habet: neque hoc Deo placet, sed ejectione dignum est.

CONCIO II.

SUA QUISQUE VITIA UT EJICIAT E TEMPLO ANIMÆ
SUE INCITAMENTA.

I. Cogitemus majores nostros. — II. Cogitemus priora facta nostra. — III. Cogitemus rem non adeo esse difficilem. — IV. Cogitemus pudorem quem incurrimus. — V. Cogitemus proposita nobis præmia et emolumenta.

THEMA.

Ingressus templum capit ejicere vendentes in illo et ecentes. Lucæ X.

Theodosius imperator, uti refert beatus Petrus Damiani, libro VII. epistol. epistola XI. ad Gotifredum Tusc. ducem, cum imperium videret sceleratis repleti ex nimia sua conniventia et clementia, misit veredarium suum ad eremitam quemdam, sanctitatis nomine celebrem, petiturus consilium, quid in tali rerum statu faciendum sibi indicaret. Quid ad hoc eremicola? Sarcolum arripit, et hortulum ingressus, legato inspectante, sarrit, et noxia demolitur germina, et urticas extirpat, bonas vero herbas excolit, et communit oluscula. Tum abire legatum, et referre imperatori ea quæ vidit, jubet. Mentem eremite mox intellexit imperator, ut nimirum ex imperio reprobos extirparet, bonos confoveret: sic egit, et rempublicam composuit. Quale responsum simul et documentum dedit imperatori prudens eremita, tale nobis præbet in hodierno evangelio sapientissimus Dei Filius. Templum Dei esse singulos Christianos, apostolus testatur variis in locis, uti I. Corinth. III. *Nescitis quia templum Dei estis?* Atqui templum hoc sæpius videmus multis in Christianis repleti urticis et herbis pestilentibus, vitiis, inquam, variis. Quid hic consilii, quid factu opus? En tibi responsum a Christo, facto, non verbo, datum: flagellum namque arripuit, cum videret templum Dei a nundinatoribus contaminatum, et eiecit improbos violatores domus Dei, et hoc ipso, quasi symbolo, ostendit, quid in templo Dei, quod sumus nos, facere nos oporteat: ejicienda nimirum esse potenti manu vitia, quæ animos nostros polluant, Deoque abominabiles faciunt. Verum dicet aliquis: Res hæc difficultatem habet. Quis enim facile exuat habitus male contractos? Quis tantum vitiorum colluviem solus expellat? Unde nobis flagellum tale, quo turbam hanc ejiciamus? Dabimus vobis aliqua in hac concione: vos ea arripite.

I. Cogitemus parentes et majores nostros quam a vitiis abhorruerint, et pietati ac virtuti fuerint addicti. Solet enim hic stimulus multum invitare

filios, ne a parentum virtutibus degenerent, quos sibi, velut ideam et vivendi regulam, a teneris propositam semper habuerunt. Hac cogitatione conatus est Tobias avocare a peccato familiares et domesticos sibi insultantes: *Nolite ita loqui, inquit, quoniam filii sanctorum sumus*, Tob. II. sanctorum scilicet parentum et patriarcharum illorum, Abraham, Isaac et Jacob, etc. qui uti in morigeris et sanctis filiis summe sibi placent et gratulantur, ita in perversis maxime displicent et indignantur. Eodem stimulo excitavit Mathathias filios suos ad pugnandum strenue pro templo Dei et patriis legibus: *Mementote, ait, operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen æternum*, I. Macch. II. Ita et poeta ethnicus (Virg. I. XII. *Æneid.*) Ascanium ad fortia patranda excitat memoria patris Æneæ, et avunculi Hectoris. Seipsum adhuc melius admonuit parentis sui Boleslaus IV. rex Poloniæ, qui, cum patris sui imaginem collo appensam in aurea gereret lamina, cum difficile quidpiam aggrediendum esset, eam exosculabatur dicens: *Eia, dice parens, ne sinas ut quid vecors indignumque tuo nomine admittam*, Caussin. in aula s. I. I. Etenim, si de piis et virtute claris natus parentibus impie et turpiter vivas, quid nisi facem splendenter geris, quæ tuam prodat ac demonstrat fœditatem? Hinc merito talibus indignabundus oclamat Deus, Ps. IV. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* Heb. I. *Usquequo, inchyli mei, ignominiose diligitis vanitatem?* q. d. cum sitis ex inchyta et insigni gloriosaque progenie, cur sectamini vanitatem et peccatum? Ita enim explicat S. Chrysost. « Quosnam, inquit, vocat filios hominum eos, qui vivunt in improbitate, qui sunt proclives ad vitium. Quod autem eos, qui sunt ad vitium propensi, vocat filios hominum, audi: Videntes filii Dei filias hominum, » Gen. VI. Filii igitur Dei justii, filii et filia hominum vocantur solito vitiosiores ac turpiores. Degeneres illi filii, dum se fœdis voluptatibus dederunt, Dei in se iram provocaverunt, et diluvium induxerunt. Merentur etiam non vulgarem pœnam qui a piorum parentum vestigiis deflectentes, vitiis se contaminant. Quod si quis parentum radiis non coruscet, sciatis in baptismo effectum esse filium Dei, quo nomine apostolus sæpe nos compellat. Quis vero in tanta nominis gloria non strenue se gerat, ut omnia ab animo suo vitia extirpet? Alexand. M. et quidam alii fortes viri non ægre audierunt appellari se filios Dei, ut, hac de se concepta opinione, animarent semetipsos ad fortius agendum, et res magnas aggrediendas, uti scribit

Varro, apud D. Aug. III. de civit. c. IV. Cum ergo nos Christiani non vane insigniamur hoc præclarissimo titulo, judicate an hoc calcar non acriter nos stimulet ad expellenda ab animo nostro omnia vitia, et virtutes inducendas.

II. Cogitemus priora facta nostra, quibus, adjuvante Dei gratia, non paucas obtinuimus de vitiis nostris victorias; dum variis e peccandi periculis generose eluctati sumus, et pravos quosdam habitus quibus assueveramus, desuetudine deposuimus. Quam multi enim exuerunt jurandi et pejerandi, execrandi, injurgitandi, scortandi, ludendi, rixandi et pugnandi consuetudinem, et contrariam induerunt? Quod igitur in aliis vitiis debellandis et potuimus facere et fecimus, cur non possimus et faciamus in iis, quæ jam adhærent nobis? Multum addit animi militibus semel expugnasse hostem, et reddit cautiore, ut ne partam gloriam iterum deperdant. Glaucus Caristius, puer adhuc, in agro colendo vomerem, qui ab aratro exciderat, manu loco mallei in suum locum restituit. Ductus postea a patre et Olympia, cum ab adversario conficeretur plagis, et jam succumbens deficeret, inclamavit prosiliens pater: *Percute qua aratrum*. Quo ille stimulo concitatus irruensque violentius velut impetu capto, adversarium vicit, statuamque meruit, Pausanias, I. VI. Potuit hunc juvenem pristini sui roboris memoria ingesta confirmare ad resumendas vires, et hostem superandum; cur non et nos Christi athletas ad debellanda vitia, quorum non dissimilia jam alias debellavimus? Certe commemoratio priorum heroicorum actuum Davidem excitavit ut cum Goliatho magna illa corporis mole, congreduo duello minime dubitaret. *Pascebat, inquit ad Saulem, servus tuus patris sui gregem, et venerat leo vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis, et persequeretur eos et percutiebam, eruebamque de ore eorum: et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur Philisthæus hic incircumciscus, quasi unus ex eis*, I. Reg. XVII. Cogitemus hoc et nos. Expugnativimus haud dubie jam alias vitia quædam nobis inhærentia: erit igitur hoc, cui adhuc mancipati sumus, quasi unum ex illis, æque facile superandum, modo viri esse voluerimus.

III. Cogitemus hostes nostros, qui nunc dominantur nobis, tanti roboris non esse, uti nobis imaginamur. Quam enim facile contraximus hoc vel illud vitium, aliquoties iteratis vitiosis actibus, tam facile id deponemus, intermisso ejusdem pravo exercitio. Invincibilis plane videbatur esse Goliath populo Hebræorum, quem ta-

men Deo confisus David stravit primo lapide. Simile certamen oblatum in exstasi fuit abbati Theodosio adhuc tyroni, cum Æthiope ingentis magnitudinis, attollentis caput supra ipsas nubes; quem ille, ubi primum dimicare orsus est, illico in fugam compulsi; fuit autem dæmon, in prato spir. c. LXVI. Non multo difficilius erit expugnare vitia nostra, si una cum Davide manum mittere in peram, seu admoveere operi et bellare voluerimus. « Simul enim ac velle cœperimus (pugnare in vitia) inquit S. Dorothei. doctr. X. cœperimus, auxiliante Deo, et pugnare, non deerit qui nos adjuvet, modo ipsi decertemus. Proinde quidam ex patribus frequenter dicere solebat: Da sanguinem, et accipe spiritum, h. e. certa, contende, enitere, et habitum procul dubio acquires. » Polysperchon Peloponnesis aditum obsidentibus, milites suos ad periculum adeundum hac ratione confirmavit: pileum sibi imposuit et tunicam duplicem indutus; arreptoque baculo, dixit ad eos: *Qui nos in certamen vocant, hujusmodi sunt homines, o commilitones*. Postea his depositis, et accepta armatura: *Qui vero manum cum illis conserent, inquit, tales sunt usque in hoc tempus multorum præliorum victores*. Dixit et persuasit, ut actutum hostem aggredi contenderent, Polynæus, lib. IV. Fingit sibi aliquis invincibilem plane esse contractam ebriositatem. Quasi vero vincere eam tam difficile sit, abstinere a compositibus, et appone mensæ tuæ certam mensuram, et quotidie parum detrahe: sic expugnabis vitium. Assuetudine didicit Milo portare unum bovem, imponendo eum humeris suis, dum adhuc esset vitulus: et sic una cum vitulo crevere ad portandum vires. Fuit quidam iracundiæ adeo addictus, ut sibi persuaderet nullum esse medium sese ab ea liberandi. Quæsitum igitur ex illo est, an alium in hoc vitio nosset sibi parem, et inventus tandem est. Cum hoc spiritualis pater pactum tale iniit, ut, si patienter ferre posset ternas injurias, certam ei pecuniam numerare vellet. Suscepit hic non difficile oblatam conditionem et præstitit quod promisit. Paucis post diebus rixæ occasio oblata est inter illos duos; quorum ille, more suo, onerare istum aggreditur non paucis contumeliis. At iste, memor pactæ et stipulatæ sibi pecuniæ, ne verbo se defendit, sed instar piscis tacuit. Miratus alter insolitam hujus æque cholericæ mutationem, abiit ad patrem et fassus est possibile esse quod prius abnegarat; ut iracundiæ vitium expugnari queat, quod in socio vidisset. Itaque a patre particulari in hoc vitium indagine armatus, et ipse tandem victor evasit. Refert noster Georg. Reeb, in tract. de prud. christ. lib. III.

IV. Cogitemus immanem illum pudorem, quo